Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 275
Quelle:
Copyright:

ger est; lectione tamen infra Edita, a quibus etiam *Capitum* divisione quandoque abit. Ita L. I. c. 16. *De Ecclesia et Haeresibus*, nobis in duo disterminatur. L. III. c. 19. *De Humilitate*, et c. 20. *De Tempore* (Tepore) *Monachorum* nobis invertitur; c. 50. *De Patientia Principum* nobis in duo secatur; item c. 51. *Quod principes legibus teneantur*. Cap. 52. *De Judicibus* plane abit in tria. Ad calcem adjectus est *Capitum* Index pro omnibus III. *Libris*.

IX. *fol.* 267. p. 2. *Quare pauperes commixti sunt in politicis* (Politiis, Rebuspubl.) *diuitibus. Hainrici de Hassya.* Et iterum: *Incipiunt aliqua capitula de contractibus.* Geminos *de Contractibus Henrici* nostri Tractatus norunt Eruditi, nosque non semel indicavimus. En tertium, cujus recitabo Capita: I. audisti. II. *De quibus prouidere habent, qui praesunt policiis.* III. *Quod sub precepto cadit, de hijs que supersunt, indigentibus subuenire.* IV. *Ostenditur tribus exemplis, quod difficulter quis excusatur a transgressione precepti Dei.* V. *Quod mutuare gratis cadit sub precepto et quod usura sit mortale peccatum.* VI. *De peccato vsure iudeorum et christianorum tempore.* VII. *De reliquijs duorum populorum scilicet gentilibus et ysraelitis.* VIII. *Quare judei cohabitant christianis.* IX. *Cause, quare iudei cohabitant christianis.* X. *De tribus modis quibus Judei a christianis teneri consueuerunt.* XI. *Tanguntur aliqua mala que eueniunt ex vita iudeorum.* XII. *Secuntur questiones super contractus.* Hae sunt numero XXXII. et fortassis illae, quae haberi dicuntur ad calcem *Opp. Gersonis* edit. *Colon.* 1484. f. ab *Oudino* T. III. p. 1261. Videat, cui ad manum est isthaec Editio. Mihi *Tomum* III. edit. 1488. consulenti oblatus est quidem in *Indice* earum Titulus, Quaestiones tamen ipsae cum tota Adpendice ibi promissa a Typographo omissae sunt, Editio vero 1489. 4. sincerior jam etiam Titulum ex *Indice* sustulit. Est porro harum Quaestionum initium: *Vtrum secularis potestas possit aliquo Statuto reditus cleri antea iuste habitos mobiles facere per redempcionem uel alias diminuere.* Totius autem Tractatus: *Etsi plus vnus quam alter teneatur, Omnes tamen aliquid superhabentes ad beneficia mouere debet, quod non ob aliud pietate Diuine prouidencie factum est, quod pauperes commixti sunt diuitibus, infirmi sanis, ignorantes scientibus* &c. C. 2. reprehenduntur Magistratus, *qui presunt, ut sibi prouideant, qui curant, quod alij patiuntur, dummodo ipsi ditentur, qui muneribus receptis permittunt iniquis contractibus grauari, qui fraudes mensurarum non puniunt, qui quoslibet auaros res vtiles claudere permittunt, qui tempore necessitatis res adduci prohibent, qui tunc res vtiles de regione abduci permittunt, qui statuta sibi vtilia faciunt et non communitati, qui iuxta exigenciam defectus uel habundancie uel mediocritatis rerum precium racionabile venalibus*

non